SANCTI.
PER.FIDEM.VICERVNT.
REGNA.

ECCLESIAE ANGLICANAE TROPHÆA

Siue

[illegible]orꝫ Martyrum, qui pro CHRISTO
[illegible]licæq; fidei Veritate asserenda,
antiquo recentioriq; Persecutionum
tempore, mortem in Anglia ſubierunt,

PASSIONES

Romæ in Collegio Anglico per
Nicolaum Circinianum depictæ;
nuper autem
Per Io. Bap. de Cauallerijs
æneis typis repræſentatæ.
Cum Priuilegio Gregorii
XIII. P. M.

R. Dn̄o Thomæ Tretero Canonico S. Mariæ
Transtyberim in Vrbe, et Ser. Regis Poloniæ ſecretario
Dn̄o suo Colendiss.° Dicauit. Anno Dn̄i. M.D.LXXXIIII.

ROMÆ EX OFFICINA BARTHOLOMÆI GRASSI.

GREGORIVS PAPA XIII.

DILECTE fili ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Exponi nobis nuper feciſti, quòd tu in alma Vrbe noſtra ærium inciſor non ſine ingẽti labore, ac magna tua impenſa, longoq; temporis interuallo nouum opus, ſeu librum imaginum, & figurarum, ſeu effigierum in ære diligenter, & accuratè ſculptarum omnium, & ſingulorum Imperatorum à Iulio Cęſare Imperatore, vſq; ad Chariſſimum in Chriſto filiũ noſtrum Rodulphum Romanorum Regem modernum in Imperatorum electum vnà cum eorundem Imperatorum vitis compendioſe à dilecto filio Thoma Treterƺo clerico Poſnanien diœc. canonico Eccleſię beatę Marię Tranſtyberim de dicta Vrbe deſcriptis, & deſumptis fabricaſti, ſeu confeciſti iſtudq; opus in vnum librum redegiſti ac inſuper etiam alia duo noua opera in duos libros redacta vnum videlicet martyrum in ſancti Stephani Rotundi nuncupatus, alterum vero etiam Martyrum in Sanctiſſimę Trinitatis Collegij Anglorum de eadem Vrbe eccleſijs depictorum compilaſti, omniaq; & ſingula huiuſmodi opera, ſeu libros, tam Imperatorum, quàm Martyrum prędictorũ pro communi omniũ vtilitate, & Priſcorum temporum memoria in lucem edere, & imprimi facere deſideras, & intendis, ſed vereris ne poſtmodum ad tui imitationem alij eaſdem imagines, figuras, & effigies, ac opera, & libros coniunctim, vel diuiſim in eadem, vel ſimili, aut diſſimili magna, vel parua forma, ſeu volumine imprimant, & emolumentum tibi debitum pręripiant, teq; tuis laboribus, impenſis, & pręmijs defraudent, niſi per nos de remedio obuietur opportuno. Quare nobis humiliter ſupplicari feciſti, quatenus, tam publicę, communiq; omnium vtilitati, & ſatisfactioni, quàm tuę indemnitati in pręmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos idcirco te, hęredeſq;, & ſucceſores tuos ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, Tibi pro te, tuiſq; hęredibus, & ſucceſſoribus, ac cauſam à te, vel eis pro tempore habentibus, & habituris quibuſcunque, quod nemo alius prȩter te, tuoſque hęredes, & ſucceſſores, ac cauſam habentes prędictos, aut niſi cum expreſſa tua, vel illorum licentia dicta opera, ſeu dictos libros, aut quaſcunque illorum imagines, figuras, vel effigies hactenus in ea forma non impreſſas, & per te imprimendas, vel quamlibet ipſarum tam in dicta vrbe, & illius diſtrictu, quàm in toto reliquo ſtatu eccleſiaſtico nobis, & Sanctę Romanę Eccleſię mediatè, vel immediatè ſubiecto ad decem annos continuos à data prę ſentium inchoandos per ſe, vel alium, ſeu alios publicè, vel occultè, directè vel indirectè principaliter, vel incidenter, aut ad inſtar, ſeu imitationem, vel ſimilitudinẽ, aut etiam in toto, vel in parte, neque in paruo, neq; in magno, aut quouis alio volumine, folio, aut forma, neque tam in carta, ſeu papiro, & membrana, quàm in linteis, aut pannis etiam ſericeis, aut etiã tabulis ligneis, vel ferreis, aut æreis, argenteis, vel aureis, ſeu quacunque alia materia, & tam coniunctim quàm diuiſim, vel ſeparatim imprimere, vel excudere, aut etiam ſculpere vel incidere, ſeu imprimi, aut excudi, ſculpi, vel incidi facere, neque etiam ab aliis, & etiam alibi, vbilibet impreſſas, excuſas, ſculptas, vel inciſas, aut imprimendas, excudendas, ſculpendas, vel incidendas, vendere, ſeu venalia, aut venales habere poſſit, nec debeat Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium concedimus, & indulgemus. Diſtrictius inhibentes vniuerſis & ſingulis Chriſtifidelibus, & perſonis vtriusque ſexus cuiuscunque dignitatis ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, aut ſint, prę ſertim vero bibliopolis, impreſſoribus, ſcultoribus, & inciſoribus in vrbe, & illius diſtrictu, ac toto ſtatu eccleſiaſtico mediatè, vel immediatè ſubiecto huiuſmodi exiſtentibus, ſeu degentibus prę ſentibus & futuris in virtute ſanctę obedientię, & ſub excommunicationis maioris latę ſententię, necnon quingentorum ducatorum auri de cameræ, & amiſſionis dictorum operum, typorum, imaginum, figurarum, vel effigierum, ac inſtrumentorum ſuorum, pro vna videlicet cameræ noſtrę Apoſtolicę, & pro alia tibi, & tuis prędictis, ac pro alia accuſatori ſeu denuntiatori, & pro reliqua partibus iudici exequenti, irremiſſibiliter applicandorum pœnis, eo ipſo ſi, & quoties contrafactum fuerit, & per quemlibet contrauenientem incurrendis, ne dictis decem annis durantibus opera, ſeu libros, & imagines, figuras, vel effigies huiuſmodi, aut quodlibet ipſorum abſque expreſſa tua, vel tuorum prędictorum licentia, vt prę fertur, aut aliàs quouis modo imprimere, excudere, ſculpere, vel incidere, aut imprimi, excudi, ſculpi, vel incidi facere, neque etiam opera, ſeu libros huiuſmodi, vel quaſcunque illorum figuras, tam ab ipſis, quàm ab alijs, etiam alibi vbilibet forſan impreſſa, impreſſos, & impreſſas, vel imprimenda, imprimendos, & imprimendas publicè vel occultè vendere, aut aliàs venalia, ſeu venales habere, vel tenere audeant, ſeu prę ſumant. Mandantes propterea vniuerſis, & ſingulis dilectis filijs Gubernatoribus, Locatenentibus, Legatis, Vicelegatis, Poteſtatibus, Communitatibus, Vniuerſitatibus, Prioribus, Prętoribus, ceterisque iusdicentibu Eccleſiaſticis, & ſecularibus, necnon etiam venerabilibus fratribus Epiſcopis, Archiepiſcopis, & Patriarchis, aliisque locorum ordinarijs, & eorum vicarijs in ſpiritualibus, generalibus ac etiam Bariſellis, executoribus, & iuſtitię miniſtris, tam per dictam vrbem, & illius diſtrictum, quàm totum reliquum ſtatum eccleſiaſticum prędictum conſtitutis prę ſentibus, & futuris, quatenus prę ſentes noſtras litteras inuiolabiliter obſeruent, & attendant illasque ab omnibus obſeruari mandent, & faciant, necnon etiam cenſuras & pœnas prędictas in contradictores quoſlibet, & rebelles, ſeu inobedientes exequantur & exigant, ac vt prę fertur, applicent, & applicari faciant realiter, & cum effectu. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac etiam iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & legibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, etiam motu proprio, & conſiſtorialiter, ac aliàs in contrarium conceſſis, confirmatis, & innouatis; Quibus omnibus etiamſi de illis ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio habenda foret, illis aliàs in ſuo robore permanſuris hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus; Aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab Apoſtolica ſit ſede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem, ceterisque contrarijs quibuſcunque: Volumus autem, quòd prę ſentium tranſumptis etiam in ipſis operibus impreſſis plena, & eadem fides adhibeatur, quę ipſis originalibus adhiberetur. Dat. Romę apud ſanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris. Die xxvij. Iunij. M. D. LXXXIIII. Pontificatus Noſtri, Anno Tertiodecimo.

Cæ: Glorierius.



Cum Anglis toto terrarum orbe unicum templum Catholicum relictum ſit, idq; Romæ S^{me} Trinitati Sacrum, cuius in Summa ara hæc tabula conſpicitur; meritò in illo ſuorum cum priscæ, tum huius ætatis martyrum certamina exprimi curarunt: ut alios ad laudes, preceſq; ſe uerò etiam ad parem animi conſtantiam, maiorum et ſociorum exemplis, excitarent.



A . S·Petrus Apoſtolus Angliam ingreſſus multos ad Chriſtum Conuertit, Tem:
pla conſtruit, Sacerdotes, & episcopos ordinat.

B . S·Ioseph ab Aramathea ut in Anglia cum·12· Socijs habitare poſsit ab
Aruirago Rege impetrat: Vbi plurimos Christo fide,
& baptismo adiungit.

C . S·Simon Apostolus in Anglia Euangelium prœdicat, multos illi credẽt[es] baptizat:

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/ecclesiaeanglica00cava_0



A . S·Lucius Angliæ Rex à Fugatio, & Damiano S·Eleutherij·P.P. legatis bapti:
zatur, eiusq; regnū tunc primum publicè ſidem Chriſtj recepit.

B . Idem regno compoſito Euangelium prædicaturus in Germaniam ſe confert.
Vbi poſt lapidationem, Churicæ Epiſcopus cum eſſet, à plebe infideli perimitur.

C . S·Emerita S·Lucij Soror Tremontij pro Chriſto igne crematur.



A · S·Albanus, ponte turba completo, flumen ſicco pede transit.

B · Idem capite plectitur, quod complexus miles, cui ossa pro Chriſto contuſa fuerant, ſanatur.

C · Is miles, capite amputato, in ſanguine ſuo baptizatur.

D · S·Iulius, S·Aaron, alijq; complures pro fide obtruncatur.



A . S·Amphibalum, qui S·Albanum baptizarat, dũ mille homines concionantem audiunt interficiuntur .

B . S·Amphibalus ilia sua palo alligata cultris infixis circumeundo extrahere compellitur, tum Saxis percuſsus animam Deo, cunctis eam inspectantibus reddidit .

C . Populus tanta martyris conſtantia ad Chriſtum conuersus trucidatur .



A Conſtantinus in Anglia natus ibiq; Imperator creatus, uiſa Cruce de cælo audit In hoc Signo Vinces. et Maxentio ſuperato Romam liberat.

B Idem a Silueſtro PP. baptizatur, et a Lepra Sanatur. tum ca[illegible] templis et immunitatibus et muneribus maximis ornat.



A. S. Helena Coeli Regis Angliæ filia, Conſtantini Imperatoris mater Hieroſolymis Chriſti Crucem effodi iubet.

B. E tribus inuentis Crucibus, Machario episcopo ſuadente, quæ uera Chriſti ſit curationis miraculo dignescitur.



S·Vrſula Deonoti Cornubiæ in Anglia reguli filia cum undecim millibus uirginum prope Coloniam Agrippinam ab Hunnis pro Chriſti fide et uirginitate ſeruanda, partim in Rheno merſæ, partim ſagittis confixæ duplices palmas adeptæ ſunt.



A· S·Gregorius magnus Anglorum Salutis cupidus, cum ad eos miſſus proficisceretur, Romam reuocatur.

B· Idem iam Pontifex maximus S·Auguſtinũ Italum cũ ſocijs in Angliã mittit.

C· S·Auguſtinus baptizat S·Edilbertum Angliæ prouinciæ Regem.

D· S·Germanus Episcopus Gallus, hoſtes ethnicos in Anglia fugat Crucis ſigno, Litanias et Alleluya cantando.



A. S. Eduinus Northumbrorum in Anglia primus Rex Chriſtianus, à Penda rege impio in acie occiſus miraculis claruit.

B. S. OSVValdus eius gentis rex ab eodem in bello necatus multis miraculis Christi martyr eſt declaratus.

C. S. OSVVinus ibidém Rex proditus lictoribus occurrit, et peremptus miranda edit.



A. SS duo Sacerdotes Angli Heualdi nomine, dum Chriſtum Friſonibus prædicant, alter gladio confoditur, alter inmaniter trucidatur.

B. S. Chenelmus rex Midel Anglorum puer ſeptennis, ĩ ſylua ab educatore ſuo impie occiſus, miraculis illuſtratur.

C. Duo fratres Arualdi Vectæ Inſulæ reguli mox à baptiſmo decollantur.



A. Sancti tres nepotes S. Sigfridi Epi Angli in Suetia occiſi ſunt : eorum capita in paludem demerſa, illi noctu per lucem Deus oſtendit.

B. S. Clintancus rex Suthwallorum in Anglia, ex inſidijs peremptus, miraculis claruit.

C. SS. Liuinus Epus, Liuina uirgo, Socrates et Stephanus Angli, diuerſis temporibus, mortem pro Chriſto ſubeunt.



A. S. Georgius Cappadox Dracone occiso, Regis filiam, totamq; Silenam ciuitatem mortis periculo liberat, et ad Chriſtum conuertit.

B. Idem Veneno hauſto, corpore lacero, ignitis calceis indutus, plumboq; perfuſus, capite præciſo, inuictus Christi miles coronatur.

Hunc clariſsimum martyrem Anglia ſibi protectorem elegit, et maximis beneficijs tum pace tum bello receptis, ſemper religioſissimè coluit.



A. S. Wulſtanus duorum regum nepos occiditur · ſuper cuius corpus per 30 dies Lux è coelo micuit.

B. Tres ſimul comites eius paſsi ſunt.



A. S. Eobanus Traiecti Episcopus martirio coronatur.

B. S. Adelarius Erſordi Episcopus pro fide occiditur ambo Sti Boniſacij episcopi et martiris ſocij fuere.



A. S.Bonifacius Anglus Moguntiæ Archiepiscopus in Frisia Chriſtum docens ſimul cum tribus monachis Anglis interimitur.

B S..Ofitha Virgo, et martyr caput absciſsum per mille paſsus geſtat.

C S. Æthelbertus Eſtanglorum rex, insidijs Vxoris regis offæ è cubiculo ſuperiore perforato, et operto lecto decidit, et à nefarijs hominibus trucidatus Chriſti martyr efficitur.



A. S. Ebba Angla regij ſanguinis Colinganienſis monaſterij abbatissa ne in Danorum infidelium libidinem incurrat, naſum, et ſuperius labrũ ſibi cultro præſcindit. eius exemplum reliquæ Moniales pro caſta religione tuenda fortiter ſequuntur.

B. Omnes Monaſterio incluſas ignis ab hoſte iniectus tanquam immaculatas hoſtias abſumit.

C. S. Eugulus Epiſcopus impiè occiditur.

D. S. Licfardus Epũs Roma peregrinus rediens Cameraci martyr efficitur.



A. S. Edmundus Eſtanglorum rex ultimus a Danis telis configitur.

B. Eidem caput præciditur, quod procul abiectum dum a ſuis queritur ter reſpondit Hic.

C. Eius corpus cum deinde tranſferretur capiti iunctum reperitur rubra cicatrice uulnus indicante.

D. S. Humbertus Episcopus Halmensis iuxta regem obtruncatur. 19





A S. Sophias ter Hierosolymam, ſepties Romam religiose peregrinatus, Beneuenti, ubi epūs erat, dum miſsam celebrat lancea confoditur.

B S. Fremundus regis filius poſt uitam in eremo factam capite truncatur.

C S. Iuſtinianus monachus caput ſibi amputatum tulit, miraculis Meneuiæ claruit.

D S. Melorus ſeptennis à fratre manu et pede altero præciso adolescens capite plexus martyrium ſubijt.



A. S. Decumanus heremita ob Chriſti fidem decollatus caput ſuum ad fontem uſque ubi id lauare ſolitus erat deportat.

B. S. Clarus ſacerdos anglus dum Galliam pius peregrinus obit ob caſtimoniam ſeruatam interficitur.

C. S. Iuthuuara uirgo impiè occiſa miracula edit.



A. S. Wenefredæ Virgini ob uirginitatem à Cradoco Alani regis filio in NortWallia caput amputatur, eius capite in Vallem deuoluto fons erupit adhuc miraculis clarus.

B. Cradocus a Dæmone rapitur.

C. Eiuſdem Virginis capite à S. Benone corpori adiuncto ipſá ad quindecim annos ſuperuixit.



A. S. Edouardus Angliæ rex Alfridæ nouercæ inſidijs transfoditur, ac inter martyres colitur, eiusq; reliquiæ magna in ueneratione Glaſtoniæ habitæ ſunt.

B. S. Elphegus Archiepus Cantuariæ poſt cædem crudeliſsimam ſui gregis à Danis inſidelibus captiuus abducitur, multisque iniurijs affectus ſecuri cerebro impacta martyrij palmam obtinet.



A. S. *Henricus Anglus Vpsaliæ in Suetia Archiepiscopus, ab Adriano PP. IIII. Anglo, Noruegiæ Apoſtolo miſsus, finlandos conuertit; inde Aboæ archiepūs fidem Chriſti Sanguine obsignat ſuo*

B. S. *Æschillus Londæ in Suetia Epūs, natione Anglus, ſaxis obruitur.*

C. *Cantuaria Angliæ metropolis, à Danis impijs capta incenditur, magna Chriſtianorum ædita cæde in ipso templo Saluatoris nuncupato.*



A. S. Thomas Archiepus̄ Cantuarienſis ab Henrico II. Anglię rege iniquè damnatus ad Pont. Max. appellat, ſugamq; init.

B. Coram Alexandro III. ſumo Pontifice Senone in Gallia cauſā ſuā agit.

C. A règijs ſatellitibus pro eccleſiaſtica libertate occiditur anno 1171.

D. Eius ſanguis ac cerebrum in templi angulo proiecta, fontem aquæ producunt; qui ſemel in lac, quater in cruorem uerſus eſt.



A. S. Gulielmus puer Nordouici in Angliæ eodem mortis genere, quo Chriſtus, à Iudeis in feſto Paschatis ad fidei noſtræ contumeliam occiditur.

B. S. Hugo puer Lincolniæ eodem modo à Judæis crucifigitur.

C. S. Thomas monachus Douuræ à Gallis occisus poſt mortem miraculis coruscat.



A. Ioannes Fiſcherus, epūs Roffenſis in Anglia Card. declaratus, vitę et doctrinę
integerr. laude clariſſ. ab Henr. viij, qđ Pont. auctem tueretur capite plectitur.
B. Thomas Morus, eques aurat⁹, ſummo regni magratu perfunct⁹, prudentia, eruditione,
mor. innocentia et ſuauitate inſignis, ob eandem cauſam eiuſdem Regis iuſſu ſecuri percutitur.
Ambo Anglicanę reipub. lumina; alter ſacri, alter laici ordinis decus.
C. Margarita regiæ familię fœmina prudentiſſ., Comitiſſa Sar. Card. Poli mr, ob geſtatū
inſigne quinq. plagar. Chriſti, eadem morte, ſub eodem Rege plexa eſt.



A. *Proprimatu Sancti Petri, eiusq; ſucceſſorum in Sancta Romana eccleſia ſeptem Angli Carthuſiani monachi ſæuè laniati ſunt.*

B. *Nouem alij eius ordinis carceris pædore et fame enecti. Cum primis paſſi ſunt Reginaldus ordinis S. Brigittæ, Ioãnes Hanlus ſacerdos.*

C. *Duo alij Carthuſiani Eborâci catenis ferreis è ſublimi trabe uiui pendent, donec oſſibus diſſolutis dilabuntur et complures alij aliàs eam ob rem dilacerantur, Henrico VIII. Angliæ rege iubente Anno M.D.XXXV.* 28



A. Ob fidem ſedi Romanę ſeruatam Ioannes foreſtus ordinis S. Franciſci de obſeruantia ſacerdos uenerandus uiuus ſuſpenſus, igneq; ſubiecto cóbuſtus eſt, qui accendebatur ligno ſacræ Chriſti ſtatuæ.

B. Secti ſunt in quatuor partes poſt ſuſpendium ſpirantes doctor PoWelus, fetherſtonus, Abelus ſacerdotes docti, Gardinerus quoq; et Larcus Londini: Stoneus item Auguſtini anus cantuariæ.

C. tres R.di Abbates ordinis S. Benedicti necantur, et aliquot ipſorũ Monachi laqueis ſoffocantur.



A. Propter ſedis Romanę et fidei catholicæ confeſsionem, undecim R^{mi} episcopi catholici ex diuturna carceris moleſtia contabeſcentes obierunt,

B. Plumtreus Wodhouin Nelsonus, Maijnus, Hansiusque ſacerdotes in partes diſsecantur.

C. Storeus I.V. doctor. Feltonus etiam nobilis, et ShirWodus idem ſupplicium ſubeunt, Regina Elizabetha Anglię imperante.

D. quidam uir illuſtris capite plexus eſt.



Viri plurimi in Anglia pro fide Catholica retinenda hoc qui expreſsus est modo eousq; cruciantur donec uniuersi corporis artus ſingulatim luxentur. Sic Edmundus Campianus Societatis Iesu religiosus, Rodulphus Sheruinus, Alexander Briantus, aliiq; Sacerdotes ſummi Pontificis Alumni acerbiſsimè torti fuere. Anno Dñi 1581. 1582. et 1583.



Qui Summi Pontificis primatum Reginæ in Anglia negant tribui poſse, tanquam Læſæ Maieſtatis rei damnantur, et ad ſupplicij locum, Cratibus impoſiti, miniſtris interim hæreticis ad fidem Catholicam deſerendam adhortantibus, per mediam Vrbem ignominioſè raptantur. Sic Edmundus Campianus cum ſocijs, alijque Catholici tum Sacerdotes tum laici ad mortem tracti ſunt. Anno Domini 1581. 1582. 1583.



A. Edmundus Campianus ſocietatis Ieſu ſub patibulo concionatur, ſtatimq. cum Alexandro Brianto Rhemenſis, et Rodulpho Sheruiño huius Collegij alumno ſuſpenditur.

B. Illis adhuc tepentibus cor et uiſcera extrahuntur, et in ignem proijciuntur.

C. Eorundem membra feruenti aqua elixantur, tum adurbis turres et portas appenduntur, regnante Elizabetha Anno M.D.LXXXI. die prima Decēbris. Horum conſtanti morte aliquot hominum millia ad Romanam Eccleſiam conuerſa ſunt.



A. Ob fidem Catholicam in Angliā multi carceres cuiusuis conditionis hominibus pleni ſunt, in quibus plures fame, pædore, et alijs incommodis oppreſſi obierunt.
B. Variè in catholicos paſſim animaduertitur. Aliqui ferreis aciculis ſub manuum, pedúq; ungnibus infixis torquentur.
C. Alij inaudito quodam tormenti genere, quo corpus uarijs catenis in unum ueluti globum redigitur diuexantur.
D. Alij pelle urſina induti canibus exponuntur.
E. Alij uirgis per plateas cæduntur.
F. Alijs candenti ferro aures aduruntur.
G. Ad carceres uerò Sacerdotes aliquando Sacris ueſtibus induti, aut auersi equis impositi publicè ducuntur.

3.4



Quod S. Romanæ Eccleſiæ fidem tenerent, ac prædicarent in Anglia multi Sacer: dotes, et laici, hoc mortis genere occiſi ſunt anno 1582. 1583. Inter quos hi fuerũt Sacerdotes, Ioannes Shertus, Lucas Kirbeius, et Gulielmus Hartus, huius Ro: Collegij alumni. Robertus, et Laurentius Ionsoni, Gulielmus filbeius, Kirmannus, Threlkelus, et Hudsonus Collegij Rhemenſis alumni. Thomas Cottamus, Ioannes Paynus, Thomas fordus, Gulielmus lacius. Complures etiam in ſingulis Regni prouincijs iam condemnati, talem mortem in horas expectant.



A. Gregorius XIII. Pont. Max. huius Anglorum Collegij fundator, ac parens optimus Alumnos ſuos Chriſto commendat: ut, quos in Angliam ad fidei defenſionem mittit, aduerſus hoſtium inſidias, atq; tormenta diuina uirtute confirmet: qua freti iam aliquot pro Catholica Romana eccleſia fortiter occubuerunt.

B. Philippus Boncompagnus S.R.E. presb. Card. tit S. Sixti eiusdem Pont. Fr. Fil. Collegij Protector, et Benefactor munificentiss. idẽ à Deo precatur.

APPREHENSIONES CATHOLICORVM.



A. Sacerdotes clàm in ædibus priuatis ſacra admi:niſtrantes, ſæpe ab Hæreticorum explorato:ribus pecunia conductis proditi, ſæpe à carnifi:cibus ui irrumpentibus comprehensi, ab altaribũ auelluntur.

B. Illuſtres et Catholicæ heroynæ indignè et contumelioſiſſimè è domibus ſuis extractæ in carceres abripiũtur, et quòd ſacer:dotes uel ope auxiliòque ſuo iuuerint, uel Miſſis eorum interfuerint.

C. Sacerdotes item, alij in ornatu ſacro per pu:blicas plateas omnibus opprobrijs et contu:melijs uexati:

D. alij, unàque uiri nobiles equis impositi, colligatis pedibus, ad carceres deferũtur.

E Sacerdos dum Miſſam celebrat captus, ut erat ſacratis ueſtibus indutus equo imponitur, et me:ridiana luce multis cum funalibus ad ergaſtulũ ductus, in uincula conijcitur.

En (lector) regni facies miſeranda Britanni.
Terra antiqua, potens opibus, fœcunda metalis,
Clara armis et Marte, at multò clarior olim
Inſigni bonitate hominum, cultúque Sacrorũ,
Qua plures ſub coelo habuit prouincia nulla,
Pontificum egregias Sedes, Tumulòsq; minàsq;
Templorum ingentes, ſacra uaſa, altaria, patrũ
Quæ ueterum pietas in Chriſti extruxit honorẽ
Hæc nuper ſpecioſa et florentiſſima terra
Aspice ut horribiles Sacrorum paſſa ruinas
Eſt in monſtrosam nunc deformata figuram.
Namque Dei ſummi hæc ſacra uasa, altaria, tẽpla,
Sacrilegè euertit partim, partimque profanat,
Presbyteros, Laicos, et cum mulieribus, ipſos
Perſequitur pueros, deteſtandúmque profeſsa
Dogma, fidem Chriſti pedetentim exterminat omnem
Prima mali tanti radix, affligere ſanctos
Preſbyteros: caput hoc. Noua mox ſpectacula cernes
Dira magis, quæ tu ſtudiosiùs omnia lector
Aduerte, atque animum pictura paſce fideli.

NOCTVRNÆ PER DOMOS INQVISITIONES.



A. Intempeſta nocte, lictores Catholicorum domos perrumpunt.
B. Viros, Fœminas, Pueros, è lectis fugant.
C. Effringunt armaria, ciſtas, capſulas: nec ſo:
D. lum in calices, libros, cruces, et ſi quid inueniunt rei Eccleſiaſticæ, rapaciter inuolant, uerum etiam aurum, argentum, pecuniam omnem obiter inuentam, tanquam publici quidam latrones, prædantur et auferunt.
E. Ianuæ domorum per uim effractæ.
F. Domini et domeſtici in carceres abducti.

Quæ modò ſacrilegè patrata notauimus, illa.
Luce palam, et medio fiunt immania ſole.
Nunc tenebrarum actus, nocturnàque furta ſequuntur.
Nam dum per latas animantia cætera terras
Nocte intempeſta placido correpta ſopore
Membra miniſterijs recreant laſſata diurnis,
Tum uerò in primis ſpolijs intenta futuris
Excubat, et prædas animo deſignat auaro
Carnificum ſcelerata cohors: tum tecta piorum
Aggreditur, quæ mox niſi ſponte ultròque pateſcant,
Fit uia ui, rumpitque occluſas machina portas,
Vt quondam hoſtiles Aries baliſtàque muros.
Nec mora, peruadunt ſecreta cubilia, cunctas
Excutiunt latebras, ciſtas, capſasque refringunt,
Diripiúntque ſacras ueſtes, calicèsque, crucèsque.
Et ſimul occurrens ſignata pecunia, uel non
Signata, armillæ, pretioſa monilia, torques,
Vt ſacra, pròque ſacris, iure eripiuntur eodem.
Denique ad extremum (Jus ô mirabile) falſi
Conijciunt ueros dominos in uincula fures.

TORMENTA IN CARCERIBVS INFLICTA



A. Tenues et acuminati ſtyli acicularum inſtar, ſacerdotibus
ſub extremos digitorum ungues infiguntur.
B. Nortonus archicarnifex cum ſuis ſatellitibus, au:
thoritatem ſuam in Catholicis laniandis immaniter
C. exercet. Machina quædam lignea funium neruo:
rùmque adminiculo, impoſitos ſacerdotes et illigatos,
ita per ſingula corporis mēbra atque articulos in
immenſum torquet et diſtendit, ut ſæpe præ doloris
magnitudine iam nunc expiraturi uideantur. Hoc
crudeliſſimo tormento maiores noſtri ad hanc
uſque ætatem contra nullum perditiſſimorum homi:
num genus tam crebrò uſi ſunt, quàm hodierno die
aduerſarij contra probos et inculpatæ uitæ Cat:
D. holicos. Catholici è carceribus, ui et armata manu
pertrahuntur ad audiendas hæreticorum conciones.
E. Inſtrumēto quodā ferreo conſtricta Catholicorū cor:
pora in gÿrum quodammodò et circulum coguntur, et
ad certas horas in eo cruciatu relinquuntur.
F Sacerdos in cippis, aliquot dies noctèsque pedibus
ſuſpenditur, uſque eò, donec ſuorū excrementorum
fœtore pœnè exanimaretur.

Sed grauia hæc ualeant, quoniam ad grauiora uocamur.
Nàmque ô religioſe olim, generoſe, fidelis,
Impie nunc, fideique expers, et degener Angle,
Quæ rupes Scythiæ, uel monſtrorū Africa mater,
Diraue Tyſiphone Stygijs emiſſa cauernis
Hos tibi Nortonos peperit, ſimilèsque Procuſtas,
Vel potius rabidas hominum ſub imagine tigres.
Qui ſic effuſo lætantur ſanguine, qui ſic
Preſbyteros, laicòſque excarnificando triumphant
Obque fidem infligunt tormenta teterrima ſolam:
Illam dico fidem, quam patres ſemper auòſque
Noſti ab Apoſtolico tenuiſſe fideliter æuo.
Multi horum in cippis, manibus pedibuſque tenentur
Incluſi, caueis multi ſtringuntur in arctum
Attractique alijs diſtendunt corpora funes.
Mitto famem, frigus, loca ſubterranea, limbos,
Punctaque acuminibus digitorum extrema. nefāda hæc
Impediunt ſiquidem lachrÿmæ narrare uolentem.
Tu Chriſte omnipotens tantum moderare furorem,
Corda tuis noſtriſque inimicis mollia fingens.

IVDICIA ET CONDEMNATIONES.



A. Tribunalia Iudicum, qui contra Catholicos ob fidem et conſcientiam, mortis uel alterius ſupplicij ſententiam ferunt.

B. Viri nobiles fœminæque, ob fidei et religionis Catholicæ profeſſionem, unà cum latronibus et homicidis ad tribunalia Iudicum ſiſtuntur.

C. Sacerdotibus, alijsque Catholicis, ferro ignito aures perforantur.

D. Aliorum capita numellis inſeruntur, ſimulque aures ad tabulata clauis affiguntur.

E. Alij ad carros alligantur, et per plateas urbis flagellis conciduntur.

Iamque relinquentes ergaſtula clauſa, deinceps
Ducimur ad fora iudiciorum publica: iniquis
Ter quater, et nimiùm iniuſtis ubi legibus, unà
Improbi, itemque boni, sancti, pariterque ſceleſti,
Quique peremerunt multorum corpora ferro,
Et qui ſeruarunt animas et corpora Verbo,
Hoc eſt, Chriſtus ubi et latro ſeditioſus, ut olim
Siſtuntur Iuda duce Cæsaris ante tribunal.
Fortè aliquis leuiter Miſſæ ſacrum extulit, alter
Dicto aliquo fauit Romanæ Sedis honori,
Presbyteròs ue necem pro Chriſti nomine paſſos
Obiecta immunes à proditione putauit:
Liber abit nemo. Huic ignito conſpicis aures
Perfoſſas ferro, alterius per compita tracti
Libera seruili cæduntur terga flagello.
Tertius impoſita ſtrictis ceruice numellis
Stat pleno ſpectante foro (miſerabile uiſu)
Stàntque ſimul terebratæ et confixæ poſtibus aures.
Sic in Catholicos Gothi olim, Vandali, Alani,
Arriana truci graſſata eſt ſecta furore.

Special
Folio 92-B
9870
Bound w/ 92-B
13949
THE GETTY CENTER
LIBRARY